Vera tamen capiet populus spectacula felix.
Letaque erit presens cum duce turba suo.
At mihi fingenti tantum longeque remoto.
Auribus hic fructus percipiendus erit.
Atque procul latio diversum missus in orbem.
Qui narret cupido vix erit ista mihi.
Is quoque tam serum referet veteremque triumphum.
Quo tamen audiero tempore letus ero.
Illa dies veniet mea quo lugubria ponam.
Causaque privata publica maior erit.

Magna minorque fere quarum regis altera graias.
Altera sidonias utraque sicca rates.
Omnia cum summo posite videatis in arce.
Et maris occiduas non subeatis aquas.
Ethereamque suis cingens amplexibus arcem.
Vester ab intacta circulus extet humo.
Aspicite illa precor que non bene menia quondam.
Dicitur iliades transiluisse remus.
Inque meam nitidos dominam convertite vultus.
Sitque memor nostri necne referre mihi.
Hei mihi cur timui que sunt manifesta requiro
Cur labat ambiguo spes mihi mixta metu.
Crede quod est quod vis. et desine tuta vereri.
Deque fide certa sit tibi certa fides.
Dumque polo fixe nequeunt tibi dicere stelle.
Non mentitura tu tibi voce refert.
Esse tui memorem de qua tibi maxima cura est.
Quodque potest secum nomen habere tuum.
Vultibus illa tuis tamquam presentibus heret.
Teque remota procul si modo vivit amat.
Ecquid ubi incubuit iusto mens egra dolori.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0341
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG